

Cf. Auct. Helv. ad prioris var. γ citatos.

L. Sp. Pl. 1113. Willd. Sp. Pl. 3. p. 1503. Poir. Enc. 7. p. 20. Dec. Fl. Fr. 2980. Vill. Delph. 3. p. 75.

CLUS. Hist. 2. p. 138. fig. 3? (Non videtur. Radix fibris perinde ac prior coronata). I. B. Hist. 2. p. 1061. fig. 2. (ex CLUSIO). Chabr. Sciagr. 332. fig. 2. (eadem).

Radix secundum Cl. CANDOLLII apice ut prioris filamentosa, sed in speciminibus meis omnino nuda, aut reliquiis paucis debilibusque foliorum vetustorum instructa, ceterum nigra crassaque. Folia radicalia caespitosa, neutiquam petiolata, sed potius basi parumper et quasi in vaginam albidam carinatam plicatam intus lanatam dilatata, tenera et molliuscula, nervo dorsali satis conspicuo, lateralibus obsoletis, plerumque vix lineam unam lata, sublinearia, glabruscula, subulata, apice subito obtusato. Caulis trientalis, fere dodrantalis, superne lanatus, infra calycem subito incrassatus, inferne subfoliosus, superne foliolis squamaeformibus, subinde numerosis, brevibus, ovato-acuminatis instructus. Flores magnitudine fere *austriacae*. Calyx basi subtomentosus, laciniis saltem interioribus elongatis, lanceolato-linearibus, scariosis. Semiflosculi minus numerosi, flavi, dorso rubelli. (D. s.)

Hab. locis consimilibus, in montibus *Delphinatus*, *Arvernicae*, *Pedemontii*. Specimina authentica benignissime communicaverunt Cl. DECANDOLLE et PERROT-DROZ. — Fl. . . 24.

Obs. Icones citatae neutiquam ad plantam gallicam nostram spectare possunt, sed multo magis cum *Scorzonera* elegante, quae apud botanicos vindobonenses falso *Sc. parviflorae* nomine occurrit quamque ad *Sc. graminifoliam* referendam esse censeo, conveniunt. Dignoscitur radice eximie coronata, foliis caespitosis, rigidis, perangustis, carinatis cauleque humili, vere folioso. Floris calycisque indoles fere eadem ac *Sc. austriacae*.

1754. *SCORZONERA plantaginea* Schleich. — Sc. radice nuda, caule unifloro subnudo superne lanuginoso, foliis petiolatis lato-lanceolatis acute subquin-

quenerviis, phyllis lanceolatis obtusis. (Sp. 3. Gall. Scorsonère à feuilles de Plantain.)

Schl. cat. 1824. Cf. Heg. Fl. Helv. 2. p. 157. sub *Sc. glastifolia*. — *Sc. humilis* Willd. Sp. Pl. 3. p. 1499. (excl. syn. Clus.). Bieb. Cauc. n. 1565. *Sc. humilis* botanicorum vindobonensium neque nostratum, et probabiliter ipsius JACQUINI (austr. tab. 56) huc referenda est. *Sc. nervosa* α Poir. Enc. 7. p. 22.

Schl. Phil. Thom. exs.

Radix neutiquam ad collum filamentosa. Folia radicalia non numerosa, in petiolos longiusculos, angulatos, lanugine facile detergenda, quae in ceteris partibus plantae plus minus copiosa observatur tandemque omnino evanescit, instructos angustata, caule multo breviora, firma, laete virentia, late lanceolata, utrinque acuta, nervis 5-7, duris exstantibusque percursa, *Plantaginis angustifoliae* similia. Caulis erectus, fistulosus, striatus, pedalis, sesquipedalis, praecipue superne lanuginosus, foliis paucis, parvis, lanceolato-linearibus instructus. Calyx cylindricus, oblongus, squamis demum glabris, interioribus elongatis, anguste lanceolatis. Flosculi calyce multo longiores, lutei, dorso rubro tincti. Semina subcompressa, tetragono-sulcata, angulis scabriusculis: pappus sessilis, albidus, demum subrutilans, radiis s. pilis inaequalibus: longioribus superne scabris et tantum inferne plumosis. (D. s.)

Hab. in regionibus transalpinis. — Locum natalem tacuit Cl. SCHLEICHER; sed in valle *Susana* ad lacum *Larium* inventam misit PH. THOMAS. — 24.

OBS. I. *Sc. austriaca* pappo simili gaudet, radiosque perinde longiores nonnullos superne mere scabriusculos producit.

OBS. II. *Sc. humilis* austriacorum botanicorum a Cl. WIEST et EN. THOMAS suppeditata, quamquam paulo minor, ex asse cum nostra quadrat. Ad hanc formam humiliorem multa spectant specimina foliis latissimis et perangustis eximie ludentia, quae nuper in monte *Feldberg* legit mihi que largitus est amiciss. ENDRES. Ceterum nomen linnaeanum (*Sc. humilis*) vexatum omninoque adhuc dubium omisi, et Schleicherianum, utpote aptissimum, admittendum esse existimo.